

POPILLIUS DEALS WITH RHODES AND ANTIOCHUS IV (168 B.C.) (45.10 & 12)

After the defeat of Antiochus III the Great, the East was relatively quiet for a time, until Rome forced another war with Macedonia. The Third Macedonian War (171-168 B.C.) had varying fortunes and King Perseus of Macedonia gained some support in the East, notably from Rhodes. Meanwhile, Rome's preoccupation with Macedon allowed the Seleucid king in Syria, Antiochus IV, to attempt to absorb the Ptolemaic kingdom of Egypt. After Rome's victory over Macedon at the Battle of Pydna in 168 B.C., C. Popilius, sent by the senate as legate to the East, deals with Rhodes and with Antiochus IV.

1 [10] Victoriae Romanae fama cum pervasisset in Asiam, Antenor, qui cum
2 classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandriam inde traiecit. C. Popilius,
3 qui Deli in praesidio navibus Macedoniam petentibus erat, postquam
4 debellatum in Macedonia et statione summotos hostium lembos audivit,
5 dimissis et ipse Attali navibus ad susceptam legationem peragendam
6 navigare Aegyptum pergit, ut prius occurrere Antiocho posset, quam ad
7 Alexandreae moenia accederet.

8 Cum praeterveherentur Asiam legati et Loryma venissent, qui portus viginti
9 paulo amplius milia ab Rhodo abest, ex adverso urbi ipsi positus, principes
10 Rhodiorum occurrunt — iam enim eo quoque victoriae fama perlata erat —
11 orantes, ut Rhodum deveherentur: Pertinere id ad famam salutemque
12 civitatis, noscere ipsos omnia, quae acta essent quaeque agerentur Rhodi, et
13 conperta per se, non volgata fama Romam referre. Diu negantes perpulerunt,
14 ut moram navigationis brevem pro salute sociae urbis paterentur. Postquam
15 Rhodum ventum est, in contionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt.

16 Adventus legatorum auxit potius timorem civitati quam minuit; omnia enim
17 Popilius, quae singuli universique eo bello hostiliter dixerant fecerantque,
18 rettulit, et vir asper ingenio augebat atrocitatem eorum, quae dicerentur,
19 voltu truci et accusatoria voce, ut, cum propriae simultatis nulla causa cum

20 civitate ei esset, ex unius senatoris Romani acerbitate, qualis in se universi
21 senatus animus esset, coniectarent.

22 C. Decimi moderatior oratio fuit, qui in plerisque eorum, quae commemorata
23 a Popilio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitores
24 volgi esse dixit: eos, venalem linguam habentis, decreta plena regiae
25 adsentationis fecisse et eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non
26 minus puderet quam paeniteret. Quae omnia, si sana mens populo foret, in
27 capita noxiorum versura.

28 Cum magno adsensu auditus est, non magis eo, quod multitudinem noxa
29 levabat, quam quod culpam in auctores verterat. Itaque cum principes
30 Rhodiorum Romanis responderent, nequaquam tam grata oratio eorum fuit,
31 qui, quae Popilius obiecerat, diluere utcumque conati sunt, quam eorum, qui
32 Decimio in auctoribus ad piaculum noxae obiciendis adsensi sunt. Decretum
33 igitur extemplo, ut, qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid aut
34 fecisse convincerentur, capitis condemnarentur. Excesserant urbe sub
35 adventum Romanorum quidam, alii mortem sibi consciverunt. Legati non
36 ultra quam quinque dies Rhodi morati Alexandream proficiscuntur. Nec eo
37 segnius iudicia ex decreto coram iis facto Rhodii exercebant; quam
38 perseverantiam in exsequenda re tam Decimi lentias quam Popili effecerat
39 asperitas.

Meanwhile in Egypt, Antiochus IV of Syria had been involved in the civil war between the brothers Ptolemy VI and Ptolemy VIII. After having installed Ptolemy VI, Antiochus withdraws from Egypt, but is forced to return in 168. His fleet captures Cyprus (then a Ptolemaic possession) and he advances as far as Alexandria with his army, where he meets the Roman legate C. Popilius. Popilius carries with him a decree of the Roman senate requesting Antiochus' withdrawal from Egypt.

36 [12] Postquam dies data indutiis praeteriit, navigantibus ostio Nili ad
37 Pelusium praefectis ipse per deserta Arabiae est profectus receptusque et ab
38 iis, qui ad Memphim incolebant, et ab ceteris Aegyptiis, partim voluntate
39 partim metu, ad Alexandream modicis itineribus descendit.

40 Ad Eleusinem transgresso flumen, qui locus quattuor milia ab Alexandria
41 abest, legati Romani occurrerunt. Quos cum advenientis salutasset
42 dextramque Popilio porrigeret, tabellas ei Popilius senatus consultum
43 scriptum habentis tradit atque omnium primum id legere iubet. Quibus
44 perlectis cum se consideraturum adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset
45 dixisset, Popilius pro cetera asperitate animi virga, quam in manu gerebat,
46 circumscripsit regem ac “priusquam hoc circulo excedas” inquit “redde
47 responsum, senatui quod referam.” Obstupefactus tam violento imperio
48 parumper cum haesitasset, “faciam” inquit “quod censet senatus.” Tum
49 demum Popilius dextram regi tamquam socio atque amico porrexit.

50 Die deinde finita cum excessisset Aegypto Antiochus, legati concordia etiam
51 auctoritate sua inter fratres firmata, inter quos vixdum convenerat pax,
52 Cyprum navigant et inde, quae iam vicerat proelio Aegyptias naves, classem
53 Antiochi dimittunt. Clara ea per gentis legatio fuit, quod haud dubie adempta
54 Antiocho Aegyptus habenti iam redditumque patrium regnum stirpi
55 Ptolemaei fuerat.